

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

religiones angelorum, ut Apostolus ait. Et tu vale felicissime ac pro me ora. Ex Eremito mea 1522.

1521
Marth. Luth.

XXXI.

D. Nicolao Gerbellio, Doctōri juris, amico suo.

S. D. Dedi nostro Setzero meam sententiam κατ' ἀναβαπτισμῶν, cui locus adjunctus est de rerum communione, quæ si non fallor, utrisque Theologis displicebunt. Attigi enim alicubi totam illam factionem, tamen κατὰ ἰσχυρίας nihil scripserim. Videntur mihi ex Theologis paulatim fieri μεταβολῆς, video enim eos plane ad rationem revocare dogmata Christi & philosophari. Ego certo consilio adhuc non admiscui me contentioni κατὰ ἰσχυρίας, dicam tamen, ubi primum tantum nactus fuero ocii, meam sententiam. Ipsi sic pingunt Christum certo aliquo loco sedentem, sicut Homerus Jovem suum convivantem apud Æthiōpas. Mihi alienissimum à scriptura videtur, tollere præsentiam Christi ex Eucharistia. Vale feliciter.

Philippus Melanchthon.

XXXII.

Erasmo.

Ceterum ne officio meo aut loci aut temporis occasione defuisse videar, quid Beda in caput tuum molitur, paucis accipe. Ex paraphrasibus nescio quot Myriades herefeon, ut loquuntur, facultati exhibuit, mitto, quas facultas jam condemnavit, simul & eas, quas nunc tractat, nec est, quod speres à facultate nisi omnia sinistra, improba & iniqua, proinde cura, ut tibi assit animus, uti non deest calamus. Est tibi negocium cum ignorantissimis & impudentissimis traductoribus. Sunt in facultate literati non pauci, sed in illos animadvertitur, ut in peiores Lutheranis. Luteciæ, die Divo Dionysio sacra.

Tuus

Geruasius.

XXXIII.